

nequeunt honoribus, divitiis, voluptatibus. Job certe in honoribus degebat, quia inter suos rex quidam erat, ab omnibus honoratus, sic enim de se, c. XXIX. loquitur: *Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi, videbant me juvenes et abscondebantur, et senes assurgentes stabant, principes cessabant loqui, etc. et rursus: Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, etc.* Habuit et divitias magnas, septem millia ovium, tria millia camelorum, quinque centum juga bouum et quinque centum asinos, et familiam multam nimis. Habuit etiam delicias ac prosperitatem, bonam veletudinem, uxorem, septem filios et tres filias, morigeros, unanimes. Hæc tamen omnia ad extremum vidit aliud non fuisse quam poma fugacia, de repente uno quasi die omnia putrefacta, seque eorum odore solum ad modicum tempus recreatum esse. Hoc considerans S. Jacobus, c. V. alloquitur divites: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, et aurum et argentum vestrum æruginavit, etc.* Ad finem vitæ enim cum ad portum appellent, deprehendent se pomis naves suas onerasse, eaque computruisse, et tunc ululabunt, sicut lupi (ulalatus enim luporum est) cum fament, uti fatetur, Sap. V. *Quid profuit nobis superbia? Aut divitiarum jactantia quicquid nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra, etc.* Ita Albertus archiepiscopus Hamburg. anno 1072. cum pauperum oblitus sua dispersisset in divites et adulatores, teste Crantzio, in metrop. l. V. c. IX. in extremis constitutus, crebris iteravit suspiriis: « Heu me infelicem et miserum, qui tantas largitiones in vanum effudi! Potuissem esse beatus, si in usus pauperum ea convertissem, quæ pro sæculi gloria me distraxisse nunc minimum doleo! » Ibid. c. XI. Fuit nostra ætate, ait Poggius, in discep. de avaritia, qui in ipso mortis limine afferri jussit pelvim nummis aureis plenam, opem subsidiumque vitæ ab eis orans, quos tandiu velut animam servasset; subinde murmurans: *Eheu quibus vos relinquam!*

III. *Velociores sunt cursore.* Primo enim, cursor, mutatis equis continuo pergit, ut ad terminum sibi a domino præfixum perveniat, tametsi subinde delassati concidant, saltem ultimus, cum aliis non superest: ita homines de ætate in ætatem currunt, ad destinatum sibi a Deo terminum, mortem: et hinc in infantia, alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in virili ætate equum corporis sui frangit; omnes certe in senectute, cum alius equus non superest.

Secundo, velociores sunt cursore, quia certant arsu et præcurrunt se invicem ad mortem

nescii; non cogitarunt hoc nisi sero reprobis illi, qui dixerunt, Sap. V. *Transierunt omnia illa tamquam munitius velociter percurrens.* Ubi Septuaginta legunt, *præcurrans*, quasi multi simul cursu certent, uti illi duo, qui Davidi victoriam nuntiarunt; vel uti Petrus et Joannes, currentes ad sepulcrum Christi. Sic enim currunt multi, licet inscii ad sepulcrum suum, quasi vellet unusquisque primus esse, quod sane mirum est. Dum enim iracundi et contentiosi ad arma currunt, et se ad duella provocant: dum luxuriosi corpus insatiabili libidine enervant et corrivales fiunt: dum ebriosi poculis certant: dum intemperantes epulis delicatissimis morbos sibi conciliant: dum avari propter opes augendas maria trajiciunt, et innumera pericula subeunt; quid aliud agunt, quam quod inter se certant, quia prior ad sepulcrum veniat?

Tertio denique, sicut cursor festinanter transit loca occurrentia, nec eorum deliciis fruitur, sed ea solum ascipit, et vix inde aliquid delibat: nullum prandium aut cenam, sed carptim bolos aliquos, vel haustus sumit, et mox iterum equum ascendit, ut ad destinatum terminum celerrime pertingat: ita homines etiam opulentissimi per hoc sæculum currunt. Nulla enim re se stant, nec satiare possunt; vel enim prohibentur ab adversa valetudine, vel ab avaritia, vel a liberis, vel ab inimicis, vel tedio et fastidio affecti hinc inde saltant et consolationes suas quærunt, nec tamen veras et solidas inveniunt. Cum Jonatha gustant parum mellis, et morti addicuntur: cum Ezechia telam vix ordinantur, et statim ei succiditur. Unde subdit loc. cit. Job: *Fugerunt* (dies mei sicut cursor) *et non viderunt* (seu non experti sunt) *bonum.* Animadvertit inter alios hæc S. Viator Brixiensis, post Bergomensis episcopus, adhuc in sæculo constitutus, scilicet sitim humanarum cupiditatum nullatenus hic sive gloria, sive opibus, si voluptatibus expleri posse, eaque sæpe in adversa mutari viventibus possessoribus, ac quo altius ascenderunt, eo fedius corruere; tandemque in fine vitæ omnibus cedendum esse, nec plus illis quam sepulcrum quatuor cubitorum superesse. Hinc omnia jucunda ei sordere et cœlestia sola sapere. Accessit nomen viatoris, quod monebat vitam hanc non nisi viam esse, ab utero matris ad uterum terræ et sepulcrum. Inde mundanis omnibus spretis ad cœlestem philosophiam sese contulit, ut in ejus vita Antonius Benalius, apud Lipel. 11 dec. Intellexit hoc Thomas Morus, qui pro tuenda justitia in carcerem conjectus ab impia Henrico VIII. Anglorum rege, dicebat vitam aliud non esse nisi carcerem reorum ad mortem damnatorum, unde alii citius, alii serius evocantur, alii bre-

vio, alii longiore vita perducantur, apud Staplet. in vita, cap. XII. Jam vero his ita se habentibus quomodo fieri potest, ut homines absque ulla cura periculi et salutis suæ in perpetuo a securissimo deliciarum horto degerent? Dicite quæso: Si quis mortis reus ad furcam, rotam aut rogam educeretur longiore forsitan vitæ spatio, isque in via nugaretur, rideret, cachinnaretur, de fabulis et nugis discurreret; imo se beatum ac nescio quem principem reputaret: quid de illo diceremus? Annon videmus, qua ratione tales captivi in carcere seipsos negligant, et de solo suo judicio ac processu cogitent? Hoc igitur nunc agamus, quotquot in hoc mundi carcere sumus. Interrogemus nosmetipsos non semel sed quotidie; et si fieri potest, singulis horis: *Quo vadis miser? Quo vadis? Vado ad eum, qui misit me, vado ad judicium: vado ad æternitatem seu felicissimam seu infelicissimam.*

CONCIO III.

QUO FINE HOMO MISSUS IN MUNDUM: DE EO RATIONEM DEO REDDITURUS.

I. Missus est in mundum, ut Deum colat. — II. Ut per merita sibi gloriam comparet. — III. Ut creaturis utatur ad eum finem, cujus gratia creatus est.

THEMA.

Vado ad eum qui misit me. Joan. XVI.

De litterarum studioso quodam adolescente, nomine Vicelino, patria Mindensi, scribit Helmosdus presbyter, lib. 1. chron. cap. XLIII. et Crantzius, lib. V. Saxon. c. XXIX. eum a Mecenate suo, viro comite, ad canonicos quosdam perdiscendarum causa litterarum missum, ubi domum reversus est, a sacerdote loci interrogatum, quem librum sibi prælectum audivisset, ille: *Statim*, respondet. Rursum sacerdos: *Quidnam argumenti liber is tractaret.* Ibi vox faucibus hæsit planeque obmutuit miser adolescens, nesciens quid audisset, vel in scholis didicisset. Tum deridere eum sacerdos atque exsibilare, velut frustra natum, frustra ad studia missum: proinde jam inter homines nullo loco habendum. Pupugit ea derisio animum Vicelini, et pudore opplevit adeo, ut ex eo tempore animum collegerit et ad studia adjecerit: itaque profectus Paderbornæ, inde Lutetiam tantum profecit, ut facile doctissimus suo ævo evaserit, factusque episcopus Aldenburgensis Holsatas ad fidem converterit, circa annum Domini 1134. Fasset ipse postea est, non semel illam increpationem sui que confusionem fuisse sibi initium profectus et salutis suæ. Timeo, auditores, ne simile quid

contingat multis e nostro numero. Omnes nos a Deo in hunc mundum missi sumus, ut artem bene et christiane vivendi addiscamus; et jam vadimus ad eum, qui misit nos qui et interrogabit primo quem librum audiverimus? Respondebimus: Evangelium. Rursum inquit, quid liber ille tractet, quid in eo didicerimus? Hic hærebunt multi, qui ne quidem scient, quid sit evangelium, quid si christiane vivere, et cur in hunc mundum missi sint. Ne ergo confundamur in illo examine, jam non ipsos examinemus.

I. Missus est homo in hunc mundum, ut Deum suum veneretur, laudet, colat, eique ad nutum serviat. Quod imprimis subtili penicillo indicavit Moyses, quando in descriptione creationis mundi tum Deum appellare solet *Dominum*, postquam descripsit hominem ab ipso creatum. Prius enim non nisi *Deum*, post creatum hominem constanter, c. II. III. et IV. appellat *Dominum Deum*, vel præcise *Dominum*. Causam dat S. August. l. VIII. de Gen. ad lit. c. XI. ut scilicet declararet Deum peculiari ratione et proprie esse hominum *Dominum*; hominesque ad serviendum Deo et obediendum factos. Quem in finem etiam solum hominem fecit Deus erecto ad cælum capite, ut velut servus Dei ad imperium ejus semper erectus et attentus sit. Neque de hoc ulla dubitanti causa esse potest. Ad quid enim reges alique domini ad aulas et familias suas assumunt sibi famulos, nisi ab obsequia, servitia, honorem et existimationem suam tuendam et conservandam? Hinc Isa. XLIII. ait Dominus: *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* Non eget Deus servitio vel laude creaturarum, quando tamen creaturas formare sibi voluit, decet omnibus modis, ut ipsæ non alteri, quam creatori et summo benefactori suo serviant, omniaque sua obsequia deferant. Et propterea Christus primam in oratione Dominica hanc petitionem posuit: *Sanctificetur nomen tuum*, ut nimirum nos eum corde, voce et opere quantum possumus, sanctificemus, laudemus et veneremur: « Non quasi non sit sanctum nomen Dei, inquit S. August. lib. II. de serm. Dom. sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant. » Satis etiam hoc ostendi potest ex eo, quod solius hominis causa, non in sui gratiam, (cum nec ipse, nec angeli mundo hoc visibili indigeant) mundum hunc et quæ in eo sint creavit, ac proinde hominem ad sui solius gloriam. « Erat consequens et necessarium et pium, inquit Lactantius, in epit. div. instit. c. X. ut cum hominis causa tantum opera molitus sit, cum tantum illi honoris, tantum illi potestatis tribuerit, ut dominetur mundo homo,

agnosceret tantorum beneficiorum actorem, qui fecit mundum propter ipsum, et ei cultum et honorem debitum redderet. Sic ille. Ex quibus omnibus patet nos a Deo in hunc mundum ideo missos esse, ut in omnibus et per omnia ipsius gloriam quæramus et voluntatem faciamus quomodo servi ab hero missi in agrum vel ad peragenda negotia, non suum sed heri commodum quærere ac promovere: quomodo legati regis missi ad comitia, non sua, sed domini sui jura propugnare, et tueri tenentur. Verum plerique mortalium adeo hoc non expendunt, ut ne intelligere quidem videantur, ac proinde arbitrentur, se nequaquam alia de causa, quam ut sibi et suis commoditatibus ad libitum serviant, in hunc mundum venisse: alii ut honores et dignitates, alii ut voluntates et delicias, alii ut thesauros et possessiones sibi et suis posteris quærant: de obsequio Dei et reddenda ratione vitæ suæ nihil plane cogitent: ingrati simul et perfidi legati, similes corvo illi, quem emisit Noe ex arca, ut sibi nuntiaret an diluvii aquæ sensim minuerentur, ut de virore arborum quidpiam appareret; ipse vero posthabito hoc mandato oblitus sui Noe, eadaverum pabulo allectus, suum quæsivit commodum; ut sentiunt August. Chrysost. Liran. Abulensis, Genes. III. non ita columba post corvum emissa, quæ ramum olivæ portans ore rediit, non quod ipsa foliis aut etiam fructibus oleæ pasceretur, sed ut hero, a quo emissa fuit, rationem legationis suæ redderet, velut bene et fideliter defuncta suo munere. Corvi sunt filii hujus sæculi, qui Dei et legationis suæ nescii aut immemores, non Dei gloriam et voluntatem sed sua commoda quærunt et cadavera sectantur; quales illi, de quibus Isa. 1. dicitur: *Filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Sed quanta hæc perfidia! Quid non merentur supplicii! Edgarus Anglorum rex morbo amisit Alfredam reginam, ex qua Edovardum susceperat. Per idem temporis fama pervaserat Horgerium, ducem Cornubiæ, filiam habere nomine Alfredam, forma elegantissimam. Edgarus dedit negotium Ethelvoldo familiari suo, puellæ visendæ, suisque verbis et nomine a duce connubii ejus petendi, si modo pulchritudo famæ responderet. Ethelvoldus ubi puellam supra modum speciosam adeoque rege dignam esse vidit, immemor mandati regii, eam sibi nuptum dari magnopere petivit et impetravit. Ad regem reversus ait puellam non eam esse, quam deceat nubere regi, ac non multo post, ubi sensit principis animum hoc pacto ab amore alienatum, incipit paulatim apud eum agere, ut sibi ejus voluntate liceat puellam in matrimonio habere. Id quod rex,*

qui illius jam formam aspernatus erat, ultro concessit. Crebrescebat deinde in dies magis Alfredæ pulchritudinis rumor, cum rex cupidus videndi de industria, venandi gratia ad villam Ethelvoldi accessit. Is ubi regem adventare, intellexit, fertur rem omnem uxori aperuisse, orasseque uti communis salutis causa, se negligentius solito comptam juveni furenti ostenderet. At femina immemor conjugalis amoris ac filii communis ab Ethelvoldo suscepti, quam elegantissime potuit regi venienti obviam facta, ultro castum resolvit pudorem, et mariti e medio tollendi causa exitit. Refert Malmes Buriensis, l. II. c. XLVI. Ergo perfidus hic legatus et sponsam, quam regi suo nequiter subduxit et una vitam perdidit. Sponsa, quam per nostram in hunc mundum legationem sibi quærit Deus, gloria ipsius est, de qua Isa. XLII. ipse dixit: *Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.* Corvi igitur sunt isti, qui Dei gloria et obsequio neglecto sua commoda in hoc mundo quærunt et sectantur. E contra vero columbæ sunt filii lucis, qui in omnibus actionibus suis Dei gloriam et laudem quærunt, eamque ore laudis et benedictionis ad ipsum referunt: nec vel in minimo tangere volunt; qualis erat fidelis ille legatus Eliezer, qui Domino suo Isaac sponsam adduxit, quam requisivit: nullo proprio commodo penitus quæsito, Gen. XXIV. Quinimo nec cibum sumere voluit, donec negotium Domini sui perageret: *Non comedam, inquit, donec loquar sermones meos.* Extollit dominum suum: *Dominus benedixit Domino meo valde, magnificatusque est, etc.* tales utinam servi Dei omnes nos essemus!

II. Ut per merita et labores gloriam sibi in celo comparet, visionem beatificam, angelorum consortium et ipsius summi boni æternam possessionem. Tam bonus enim est creator noster, ut licet jure meritissimo requirere a nobis omnia servitia, nullo exhibito stipendio posset; voluit tamen potius velut opulentissimus, et liberalissimus dominus remunerari servos suos ineffabili mercede, quæ omnem eorum appetitum satiare et omnem sepem transcenderet. De hac loquitur Dominus, Jo. IV. ad discipulos: *Qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam æternam: ut qui seminat, simul gaudeat et qui metit.* Quibus verbis incitat eos omnes, imo et nos omnes ad laborandum secum, spe mercedis æternæ, secum participandæ. In hoc mundo messorum non sibi sed domino metunt; exigua mercede et diurna tantum contenti esse debent: non ita qui Deo servant et metunt, quidquid enim metunt, totum ipsorum est. Suddit ergo: *Ego misi vos metere, quod non laborastis, hoc est,*

cum labore non seminastis. Idem repetit Joan. XV. illis verbis: *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat, q. d. posui vos messorum in agro Ecclesiæ meæ, ut fruges meas metatis, non tam mihi quam vobis ipsis. Qualis et quanta merces! Quanto remuneratio! Natalitiis Christi Salvatoris diebus rex Anglorum Richardus auro gemmisque sacram ædem, quam in palatio habebat, pro more exornarat; tum episcopus Aquensis Bonifacii papæ legatus mane in ea sacrificium peregit; qui dum pontificalia exuerat indumenta, rex de aræ ornamentis nil moveri jussit; apprehensoque postea humanæ per manum legato, cum ad aram accessisset dixit, æquum non videri, ea die pontificium legatum in aliena veste ornamentisque sacrificasse: et propterea quæcumque nunc in ea æde essent, ei dono se dare. Refert Fulgos. l. IV. c. VIII. Quid videtur nobis: an non pari, imo centies millies majori liberalitate offerret Deus servis suis divitias gloriæ suæ et ornatum cæli, quando illi in Ecclesia ejus, induti gratias et meritis, imo et vestimentis (quæ sunt virtutes) Christo gnaviter et industrie laborarunt? Audiamus dicentem apostolum: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, ad Gal. III. et rursus ad Rom. XIII. *Induimini Dominum Jesum Christum*, h. e. vitam et virtutes ejus, ut in vestra conversatione ipsum representetis: rursus, applicate vobis merita et sacramenta ejus. Hoc ergo sic faciamus, ducet et ipse nos quam humanissime ad templum gloriæ suæ dicens, non videri decens, in alienis vestimentis non ipsi laborasse; totum ergo thesaurum suum cœlestem nobis donabit. Non enim vult a nobis ipse ditari: nos ditare gaudet thesauris meritorum et gloriæ suæ. Hinc profecto Joannes, quando ductus est ab angelo in montem magnum et altum, ut videret civitatem sanctam et Jerusalem cœlestem, totam ex auro mundo et gemmis pretiosissimis constructam, vidit inter alia in portis ejus inscripta nomina duodecim tribuum filiorum Israel, hoc est, omnium electorum, qui non carne, sed spiritu filii Israel sunt, Apoc. XXI. Quid vero sibi volunt nomina electorum in portis illis cœlestis civitatis? Sane in portis civitatum, non inscribuntur alioquin nomina aut insignia cæmentariorum aut fabrorum, qui struxerunt eas: sed principis aut regis, cujus sunt civitates, quique sumptus dedit ad eas extruendas. Dum ergo Christus Dominus cœlesti suæ civitati appingit nomina suorum servorum, nonne aperte indicat se illam civitatem donasse servis suis, qui velut fabri et cæmentarii in ea extruenda quomodocumque laborarunt, tamen ipse sumptus dedit? Jam si rex quispiam terrenus*

extrueret civitatem, ex argento, auro et gemmis pretiosis, promittens jurejurando se eam donaturum ipsis structoribus, quicumque in id ædificium labores aliquos contulissent: quis non præ gaudio exiliret et seipsum excitaret ad collaborandum? Gregorius quidam Macedo mulum auro ad Alexandrum M. ferendo onustum agebat. Defesso jumento sarcinam ipse in humeros sublatam portabat. Vidit rex obviantem sibi onere oppressum, ac re intellecta, cum ille id depositurus esset: *Ne defatigeris*, inquit, *sed absolute reliquum itineris atque in tentorium tuum hoc defer*, Plutarch. in Alexand. Num putatis regem cœlorum immortalem minus liberalem futurum erga eos, qui ad ipsius gloriam laborant, ipsique suas et aliorum animas lucrari, et ad ejus obsequium afferre satagunt? Nefas hoc cogitare, quidquid portamus, quidquid lucratur, nostrum esse vult, ipse per se ditissimus. Quis ergo nunc fatigabitur sub tam suavi Christi jugo, tamque levi et optabili onere? Bene igitur monet apostolus, ad Hebr. XII. *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris.* Qui nimirum ut paulo post subdit: *Omnia disciplina fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ propter quod remissas manus et soluta genua erigite*, quasi dicat cum Alexandro: *Ne defatigemini, sed absolvite reliquum iter, quia vestrum est aurum, quod portatis, et fructus justitiæ vestræ pacatissimus.*

III. Ut creaturis, quas propter hominem Deus creavit ipsique subiecit, in eum utatur finem, cujus gratia huc missus est, scilicet ad serviendum Deo et parandum sibi in celo thesaurum. Habet quisvis legatus suam instructionem a principe suo acceptam, quorsum et qua via, quo comitatu et quot sumptibus ire, v. g. ad comitia, quousque aliis cedere, jura et reputationem domini sui debeat tueri, quamdiu hæreret, etc. Quibus omnibus legatus sese accommodare solet, nisi infidelis esse, et pro gratia iram domini reportare velit. Deliquerunt hac in re legati quidam Atheniensium, qui missi in Arcadiam, quoniam alia via, quam a magistratu imperatum erat, profecti fuerant, tametsi summo studio mandata perfecissent, et rem bene egissent, tamen morte muletati sunt, Elian. l. VI. var. c. V. Cæterum ut legatos, quæ in mandatis habet, commodo peragere queatis, accipit a rege suo omnia subsidia, quæ ad hujusmodi legationem requiruntur, ne in dominum suum refundere causam queat, si rem sinistro eventu parat. Ita Eliezer, de quo supra Abrahami servus missus in Mesopotamiam ad quærendam filio ejus sponsam, accepit ab hero decem camelos, ornavitque eos

ex omnibus boni domini sui, armillis et inauribus aliisque vasis aureis et argenteis, cum vestibus pretiosis, quibus inventam sponsam ornaret et responderet domino suo Isaaco, quod et fidelissime egit, Gen. XXIV. Hunc in modum etiam Deus mittens nos in hunc mundum, dedit nobis ex omnibus bonis suis, non tantum ad vitæ sustentationem, sed etiam quæ ad delectationem faciunt: subiecit nobis omnia pecora, volucres cæli et pisces maris: ita tamen ut eis non aliter, quam ad præstitutum finem consequendum uteremur, videlicet ad Dei gloriam et salutem nostram æternam. Non ergo alia via, quam quæ nobis præscripta est, eundem, non alius comitatus, non alia pompa præter assignatam quærenda, ut ad finem destinatum pertingamus. Faciunt hoc exactissime bruta animalia; veluti hirundines, quæ ad prolificandum quærunt sibi locum sub tectis, a tempestatibus securum, nidum non majorem, quam pullorum corpuscula exigant, struunt: nec plus de feno aut plumis inferunt, quam nidi angustiae ferant, nec diutius nobiscum hærent, ubi finem suum assecutæ sunt. Habent etiam servi in una domo suam quisque facultatem familiæ administrandæ; unus claves ad cellarium, alius ad horreum, alius ad vestiarium, alius ad ærarium, alius ad stabulum, sed omnes ea lege, ut hæc aliter non administrant, quam in bonum domini et ad ejus placitum. Ergo cellarius non apponet vinum domino, quod sibi sapit, sed domino sapit, et quantum ipse vult: coquus non ad gustum suum, sed ad palatum heri cibos præparabit: stabularius si sapit, non saginabit equos nimio pabulo, ut ignavi fiant, sed moderato, ut sint utiles domino, et sic de cæteris. Pari modo nos, si fideles Dei servi esse, et bono ipsius, deinde etiam nostræ mercedi volumus consulere: necesse omnino est, ut in creaturis, a Deo nobis concessis, non sectemur gustum nostrum, nec vino polluamus nos instar lurconum, nec cum Caio Caligula volutemus nos in auri acervis, nec cum impiis illis perecurramus omnia prata, ungentis non impleamus, rosis coronemus; sed quantum nobis conducunt ad finem præstitutum et obsequium Dei, solummodo histamur. Vult nos sanos esse? Simus. Vult infirmari? Non recusemus. Vult nos vivere diu? Vivamus. Vult mori cito? Moriamur. Vult esse pauperes, vult nos abundare? Ad utrumque parati simus. Inter Assueri puellas ipsi despondendas, hoc discrimen erat, quod reliquæ ad regem ingressuræ accipiebant ad ornatum, quidquid postulassent a præposito gynæcei. Esther vero non quæsiit muliebrum cultum, sed quæcumque voluit Egeus custos virginum, hæc ei

ad ornatum dedit; ipsaque libenter accepit. Ita factum ut ipsa regi præ omnibus placeret, et in reginam eligeretur, aliæ vero subesse cogentur, Esth. II. Simili plane modo plerumque in hoc mundo sibi ipsi eligunt quæcumque placent: pauci sunt, qui cum Esthere ea tantum accipere volunt, quæ Deus ipsis offert. Interim isti Deo placent: illi vero displicent.

Atque hæc est, auditores, conditio et lex, qua in mundum venimus missi a Deo, ad quem jam vadimus, etiam, dum in hac missione adhuc negotiamur, tota enim vita nostra iter est et legatio ejusque negotiatio et reditus ad eum, qui misit nos. Cogitet ergo quisque, an, et qua ratione munus hoc obierit, brevi rationem Deo redditurus. Interroget seipsum singulis diebus: Quo vadis? Vado ad eum, qui misit me, quique stricte examinabit me de peracto meo negotio; quem finem mihi præfixerim, quantum pro stipulata mercede laborarim, quo modo bona domini mei, mihi concessa, usurparim. S. Leoni papæ IX. natione Germano plurimis miraculis et sanctitate claro: « Rex Danamarchia (seu Dania) transmisit avem psittacum in munere, in quo quædam divina apparuit gratia, admirabili virtute. Quamvis enim quædam aves humana formare verba discant, magistra fame, hæc tam (ut fertur) nullo cogente toto itinere dum ad dominum papam deferretur: Ad papam vado, retinebat. Et mox, ut ei est præsentata, nemine docente, voce dulcisona, papa Leo inclamabat. » Ita Wibertus archidiaconus, in ejus vita, apud. Sur. 19. apr. Ab hoc psittaco nos discamus toto vitæ nostræ itinere sæpius cogitare et nos ipsos interrogare: Quo vadis? Simul et respondere: Ad papam vado, ad supremum pontificem omnium pontificum vado. Vado ad eum qui misit me, quique examinabit me, quid in hujus mundi schola didicerim, quid effecerim, profecerim. Timeat unusquisque ne obmutescat cum Vicelino, qui tunc non erit tempus emendandi se, et quid neglectum est compensandi. Qualis ibi pudor occupabit eos, qui ne, cur viverent quidem intellexisse deprehendentur! Quod nobis avertat Deus.

CONCIO IV.

DAMNA DETRACTIONIS.

I. Detractores arguuntur: de peccato. — II. De justitia. — III. De judicio.

THEMA.

Cum venerit ille arguet mundum de peccato, de justitia et de judicio. Joan. XVI.

Godefridus dux Bullionis Lotharingus præ-

clarissimus uti scribit Claudius Paradinus, in symb. heronum, cum urbem Jerosolymorum obsidens in turrim Davidicam telum ejaculatus esset, tres simul alites eo confixit, quod, ut par est credere, omem ei fuit occupandæ Jerosolymæ et regiæ dignitatis in eadem obtinendæ, unde ea familia usque in hodiernum tres aves sagitta confixas gerit in insignibus. Verum quid hoc miramur. Tam periti jaculatores multi adhuc supersunt, qui non minus dextre tres uno jaculo ferire et configere norunt: quodque amplius est, nunquam aberrant, singulis enim jaculis ternos semper tangunt. Quinam vero illi? S. Bern. ser. detripl. custodia, detractorem esse ait, qui tres configit uno ictu propriam animam, animam audientis, denique eum, cui detrahit. Plerumque etiam triplicem eadem committit: vitam animæ gratiam, extinguens in se et audiente, vitam civilem in absente, vitam æternam et quandoque corporis in seipso, cum penas dat. De talibus sagittariis dicitur Ps. X. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagillent in obscuro rectos corde. Verum isthæc jacula nihil boni ominis nuntiant: multum vero mali. Quia enim jaculatores isti a spiritu mendacii instigantur ad jaculandum, reprehenduntur a Spiritu veritatis in hodierno evangelio: Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. Quod sibi detractores imprimis dictum arbitrentur, ut videbimus.

I. De peccato, quin graviter peccando eripient vitam animæ, gratiam sibi et audienti, quando is libenter detrahentem audit. Sic enim Prov. XXIV. legimus: Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit, audientis scilicet et dicentis. Patuit in Maria, sorore Moysis, quæ ubi ei detraxit ob ejus uxorem Sepphoram Æthiopiassam, una cum fratre Aaron statim a Deo punita incidit in lepram candentem velut nix, et nubes recessit a tabernaculo, Num. XII. Multa hic consideranda sunt. Primo, mirantur aliqui, cur non et Aaron lepra punitus uti Maria. Respondent, quia Maria velut æmula Æthiopiassæ videtur sola, vel certe prior (quia prius nominatur) locuta contra eam et fratrem Moysen, Aaron auscultasse eam et approbasse detractorem. Alii ob reverentiam sacerdotii parsum ei volunt, alioquin æque ac sortorem plectendum fuisse, ut sentit Abulensis. Secundo, cur nubes a tabernaculo, ad cujus introitum stans in nube Deus vocarat Mariam et Aaron, recessit? Resp. in signum, quod a Maria et Aaron recessisset Dei gratia, et lepra peccati eos corripuisset. Ita Origenes, ib. hom. VII. Si est in aliquo, inquit, gratia Spiritus s. et obtrectat et detrahit, recedit ab eo post obtrationem, et lepra repletur anima

ejus. Tertio, cur lepra castigata detractio Mariæ? Primo, respondet Ephrem agens de morbo linguæ: Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris corrumpatur animus. Accusabat Maria nigrorem et turpitudinem corporis in Sepphora, adeoque ipsa longe nigrior et turpior effecta est in anima per peccatum et in corpore per lepram. Itaque detractor longe magis se commaculat, dum machinas aliorum carpit et accusat, quo modo fluvius dum terram inundat et suis aquis collutulat, ab eadem terra sordes ad se trahit, et turbidus evadit.

Secundo, quia ut lepra per contagium polluit proximum, ita detractor audientes: Sicut lepra proprium corpus devorat, inquit Aug. ser. XXVI. ad fratres in eremo, et sibi adherentes inficit, sic et murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit ac perimit. Hinc ex lege Levit. XIII. jussit Deus leprosos separar extra castra (uti et Mariam) et insuper os contactum habere, ne halitu suo contaminaren alios. Cambaia rex, ut Ludovicus Bartheta, l. 1. Indicarum rerum, cap. II. scribit, qui veneno ab infantia enutritus est, si quem vult interrimere, solo sputo seu anhelitu interficit. Sic nimirum detractor, quia veneno maledicentiæ imbutus est, solo anhelitu perimit audientes.

Tertio, jussus etiam est leprosus ibidem vestimenta dissuta gestare, et capite nudo incedere ac clamare se sordidum. Quo nimirum vitaretur ab omnibus velut immundus pro nostra vero doctrina, ut intelligamus detractores ordinarie se prodere, quod ipsi sordidiores et pejores sint iis, quibus detrahunt, quodque hoc ipso, quia detrahunt, jam pro immundis et sordidis peccatoribus habendi ac fugiendi sint. Interrogavit aliquando frater quidam Joannem abbatem (in vitis patrum apud Rosweidum, l. VI. incerto Græco auctore): « Quomodo anima habens propria non erubescit detrahere proximo suo? Cui senex: Erat quidam homo pauper, habens uxores duas male vestitas et pene nudas. Qui cum ad nundinas vicinas navigare vellet, rogaverunt eum, ut simul irent. Eas ergo quia in publicum ducere non audebat, utpote laceras, inclusit in dolium unum et transfretavit. Circa meridiem una populo recedente advertens silentium, exiit et reperit vestem curtam, vilem, rusticam, eaque se cooperuit, sicque audenter in publico incessit. Altera prospiciens e dolio eamque videns ait: Ecce stulta ista rusticana in tunicula non erubescit. Cui maritus: O miraculum! Hæc utcumque confusionem suam cooperuit, tu vero undique lacera et nuda non erubescis culpam vestitam vel rusticam? Ita est omnis detractor qui propria mala non videns aliena semper accusat. »